

de animabus hominum post mortem circa Stygem fluvium oberrantibus laudet & admittat. Denique hoc Tertulliorum delirium confirmavit fabula potius, quam historia iactata tunc, & à Nicephoro libro 8. cap. 35. narrata, nempe à Georgio quodam Episcopo cōuersos in humanam formam porcos, qui antea ex hominibus porci metamorphosi quadam facti erant. Certè ἀποπρωτάτη meritò iudicanda est hæc sententia, quæ præter omnium Physicorum philosophorum regulas, formas εἰδ' ὁποῖοις & essentias rerum confundi posse censet. Quid enim aliud docet, cum humanas animas in diabolos vel pecudes mutari contendit, quàm hominem, diabolum, & pecudem non esse diuersas rerum species & genera: aut si esse confitetur, ea tamen non sua propriaque forma & essentiali constare, propter quam inter se tota natura distinguantur, & tale quiddam sint, quæ forma illis adimi non possit? Sed tanti est nimirum in philosophicis nugamentis immorari, & præter Dei verbum sapere. Nos igitur istos ad Manichæos blasphemos homines reuocamus, & ad Priscillianistarum ætatem & tempora reducimus.

CAP. LXXIX.

Liberatorum error quis fuerit.

Alia, descendente ad inferos¹ Christo, credidisse incredulos, & omnes inde existimant liberatos.

¹ Ad inferos Christo.) Nos Liberatores appellauimus, qui nomine carebant. Videntur autem isti